DE SITV AC MORIBVS REGNORVM OMNIVM QVE HAC praesentis Europae, charta continentur, quaeq; sunt Europae contigua, Epitome.

4.



AD LECTOREM EPISTOLA

NOn tam cõtemnenda res est Geographia optime lector, vt plæriq; ex vulgi numero existimarunt. Nam quid homini esse potest dignius, quid laudabilius, q̃ si multorũ populorũ mores cognorit & vrbes? q̃ vt absq; vlla ambiguitate regnorũ diuersorũ flumina, syluas, & montes, tanq; digitos proprios, cognitos habeat? Quanq; autem impossibile sit publice vniuersis, vniuersi huius inferioris orbis regna peruagari, ac omnia oculis cõtemplari, tamen nemo est, qui nõ capiat dulcedine quadã, cum huiusmodi gentiũ mores, ritus, leges, locorumq; vbi degunt, situs, aut legerit, aut legere audierit. Sic legimus Pythagoram, post longã huc, illucq; demũ peregrinationẽ, philosophiæ suæ arcana, palam fecisse, Et Plato postq; multa & vidit & didicit, Academicam instituisse legit. Nec minus Aristoteles in rerũ cognitionẽ venit, cum Peripateticorum sectam stabiliuit. Solon nisi multa, prius et vidisset et didicisset nunq;, Atheniensibus suis, leges suas, vt seruarent, persuasisset. Et Lycurgus Lacedæmonios suos, sub iugũ legũ suarũ nunq; misisset, nisi persuasisset eas rationi, ac ipsi etiam cõmuni hominũ vitæ conuenire. Vnde illæ apud Homerũ de Vlysse, laudes, nisi quia sapienter, multorũ populorũ mores vidit & urbes? ex quibus ipse tanq; in speculo quodam virtutis imaginẽ est cõtemplatus. Virgilius Aenæam suum, per varios casus, per tot discrimina rerum, venisse in Latiũ, sedes vbi fata quietas ostendebãt, elegantissime descripsit, quodq; nouũ in Italia auspicatus sit regnum, non sine maga rerum experientia. Mitridates rex Ponti, quinquaginta nationũ linguis est loquutus, quẽ profecto vna multarũ rerum & populorũ cognitio fecit peritũ. Porro & si hæc charta, non vniuersum simul cõplectit orbem, quia tamẽ multo plura, q̃ reliquæ, quæ hactenus inuulgatæ sunt Europæ descriptiones cõpre-

hendit, non Poteſt non eſſe vtiliſſima. In Aſia & Aphrica paucis annis, tanta facta eſt innouatio & morũ & legũ, vt iam in ipſa Aſia, Aſiam deſiderare poſſis: & in Aphrica, ne ipſam Aphricam videre liceat. Nam Turcæ omnia vaſtarunt, quæcũq; in Aſia præclara fuerũt. Omnem deniq; Armenia, Arabiam, Perſiam, Syriam, Aſſyriam, Mediam, ſub poteſtatem, turpiter quidem, redigere conati ſunt. In Aphrica, Aegyptus, Numidia, Libya, Mauritania, immanem manũ ſenſerũt. Porro in Europa totã Græciã ſubiugarunt ſibi Turcæ, Myſiam quoq; & Thraciam. Hungariam pene vniuerſam, adeo non deſolatam reddiderũt. Auſtria ſecũdo iam, quid poſſint, non ſine ingenti rerum ſuarum iactura, experta eſt. Nam Turcæ non vnã dumtaxat, habitabilis orbis, partẽ ſibi ſubdiderũt, ſed ea quoq; regna quæ longiſſime ſunt diſſita, bello laceſſere ſunt auſi. Qui in Schytia, ſiue, vt vocant, Tartaria ſunt hodie populi, magno imperatori Chami, parent, neq; Chriſtianam religionem amplectuntur, ſed Solem & Lunam, nõnulli reliquam cæli militiam adorare dicũtur. Qui inter eos Chriſtiano nomine gloriantur, Paulini vocantur. Qui in India & Aethiopia Populi ſunt, magnus ille Ioannes, cognomẽto Preſbyter, regit: ſunt autẽ & hi varias in ſectas partiti. Hæc contendunt, candide lector, vt cognoſcas, quàm pauci ſint ſub ipſo Sole, qui vere Chriſtum agnoſcant, quàm multi, qui nos & noſtrã fidem auerſant. Omnes enim populi, aut ſunt idololatræ, aut alioqui Chriſtum non vt dignũ eſt, recipiunt, præterq; Germani, Itali, Hiſpani, Galli, Angli, Dani, Poloni. Sed veniamus ad ea loca, quæ ſuut Europæ noſtræ contigua, primum de Aphrica, Athiopiaq; pauca equidam diſſeremus,

Vale.

DE APHRICA ET AETHIOPIA
Caput. I.

VT scire possis in qua orbis parte, quod libet regnũ, siue prouintia, sita sit: Ideo primũ Aethiopiã in Aphrica sitam esse memineris. Porro Aphrica, Nilo ab oriente, a reliquis partibus mari terminat, estq; paulo q̃ Europa breuior, at vbi mare attingit latior. Quantũ in habitat fertilis est. Verum maior pars in culta iacet, nam vel ab harenis sterilibus obducta est, vel ob situm cæli deserta, vel venenoso animalium genere in fecta.

Aethiopia vero duplex est vna Asiæ, altera Aphricæ: Sed quæ est in Aphrica, ad orientem rubro, & barbarico mari alluitur, ad septentrionẽ Libyæ & Aegypto cõtigua: ad occasum habet interiorẽ Libyam: sed ad meridiẽ, alteri iungit Aethiopiæ. Primo deorũ cultus apud eos institutus esse perhibetur, primæq; sacrorũ ceremoniæ, Hodie rex eorũ tam potens esse dicitur, vt duobus & sexaginta alijs regibus imperitare nõ dubitet. In Aethiopia Episcoporum magnus numerus est, eorũ sacerdotes, procreandæ prolis gratia, vxores ducunt. Veteri instituto rex in aperto agit, nec se intra moenia plus biduo continet. Decies centum milia hominũ ad bellũ instruit, quingentos Elephantes, Equorũ ad hæc et Camelorũ ingentẽ numerũ, & hæc vel mediocri rerum motu.

DE AEGIPTO. CAP. II.

Aegyptus regio Aphricæ, vel secundum aliquos Aphricæ proxima, habet ab oriente mare rubrũ, ab occasu Cyrenem: a meridie vsque ad Aethiopiam protendit a septentrione mare habet Aegyptium. Olim fere vniuersi populi mores & leges ab Aegyptijs mutuarũt, idq̃d de Orphæo, poetæ testant. Imo etiam Lycurgus, Lacedæmonijs, & Solon Atheniensibus leges suas, ab Aegyptijs, sumptas inuulgarũt. Prætera Aegyptij in tantã nominis celebritatem venerãt, vt iam nemo sapiẽs, aut doctus dici crederet, nisi

Aegyptios Vates adijsset. Nam, vt clari rerum scriptores testati sunt, Pithagoras & Plato, puisque suam Philosophiahm in Aegypto didicit.

DE NVMIDIA. CAP. III.

Numidia & ipsa, in Aphrica numeratur, & Poeni Carthaginenses quoque, Getuli, Garamantes, Troglodytæ, & aliæ comp plures gentes, quorum nomina in præsentia superfluū fuerit recensere. Romani olim, cum eos qui patriam lesissent. punire vellent, vel in APhricam vel in pontum, relegebant. vt sic apud barbaras gentes, recordatione patriæ quotidie in animo punirentur. Atque de Aphrica sim dictum sit satis.

DE ASIA. CAP. IIII.

Congruum nunc fuerit de Asia, pauca ex ordine, demonstrare. Tam lata tam patens est Asia, vt Aphrica & Europa, reliquæ duæ partes, non magis cōplectant. q̄ hæc sola, Prouincias habet multas, vbi Aphricā aspicit Arabia est, regio tripilciter Diuisa, Vna petræa altera deserta, tertia foelix appellatur. Huic Panchaia, Sabæaq; adnumerant Habet Sabæa myrrhā & thus, quæ res gētes potissimæ sunt diuitiæ, præterea nullubi aurū melius, q̄ in Arabia. Panchaia vino optimo fertilis, thure quoque & myrrha non expers. aliarūq; aromatici generis, specierū, quas primum Mercatores in potestatē suā redigunt, deinde in phoenitiā, Syriam, Aegyptūq; afferentes, donec hisce rebus vniuersum mundum ceperint.

DE ASSIRIA. CAP. V.

Assyria, hodie Syria appellatur Habet ab ortu Indiam, ab occasu Tygrim fluuiū, a meridie Mediam, a septentrione Caucasum montē. Raro in Assyria pluuiæ. Quicquid in ea frumentorum prouenit, fluminis irrigatione paratur, non sua sponte, vt Aegypto, sed accolarum ingenio & labore, tanta alioqui vbertas soli est, vt ducentena, nonnunq; etiā decentena messe redundare dicant. Palmis Vescuntur, ex quibus vinum & mel cōficiunt. In Assyria, Babylonilla, ci-

uitas magna, sita est, ad quam olim populus Israeliticus, iuxta Hieremiæ Prophetæ sancti, vaticiniũ, captiuus ductus est. atq; post annos septuaginta tandem libertati donatus. In ea Daniel propheta, non pauca de regno Christi, ac Antichristi prophetauit, qua partim iam impleta, partim implenda non dnbitamus.

DE PALESTINA. CAP. VI.

Palestina, quæ & Indæa vocat̃. Sacræ historiæ cum Iosepho, Cananeã ap pellant, terra variarũ opum diues, fructibus fertilis, aquis amoena. balsamo opiam. Porro quæ Iudæorũ leges fuerint, qui scire volet, illũ ego ad libros potissimũ Mosi remitto. Erant olim interIudæos sectæ q̃ plurimæ, inter quas tres erant, quæ reliquas sanctimonia vitæ vincere existimarunt. Essæi, Saducæi, Pharisæ, Et quidem de Essæis, Iosephus non pauca in literas retulit, At Saducæos & Pharisæos Euangelistæ etiam perstringunt.

DE MEDIA. CAP. VII.

Media, a septentrione, mari Hyrcano terminat̃, ab occasu maiori Armenia & Ayssria, ab oriente Hrycania, a meridie Persia Sagittandi equitandiq; studiũ genti præcipuũ ac pene peculiare. Olim propriũ habebant Medi regnum. Regio est sterilis, vbi ad septentrionẽ porrigit̃. Hinc ex pomis, in hunc vsum contusis, massam conficiunt, ex tostis amygda lis, panem, ex herbarum radicibus, potum, carnibus autem ferinis, vt plurimum victitant,

DE PARTHIA. CAP. VIII

Parthia a septentrione habet Hyrcaniã, ab occasu Ariam, ab oriente Mediam, & a merdierubrum mare. Regio est nemorosa, montana, & inops frugum. Hæc gens olim Macedonibus seruiuit. Atqui Procedente deinde tempore, ea fuit huius gentis virtus, vt non tantũ finitimis gentibus imperaret, sed etiã a Romanis omniũ gentiũ victoribus, bello petita, eos magnis cladibus victos affecerit. Trogus illis oriẽtis imperiũ, tribuit, velut diuisione orbis,

cum Romanis, facta. Gens in libidinē prona fides dictis, promissisq; nulla, nisi quatinus ex re quisq; sua conijcere posset.

DE PERSIA. CAP. IX.

Persia, a septentrione Medis terminat̄, ab occasu Susiana, ab ortu, duabus Carmanijs, a meridie, parte sinus Persici. Fuerūt olim Persæ armorū gloria laudati, quippe qui regnū ex Medis, ad suos traduxerint. Porro paucos ante annos, Turcæ magnis illos cladibus afficiētes, omnia pene in Persia vastarūt. Hinc nulla hodie antiquæ laudis vestigia supersunt, tam sunt omnia per Turcas, in abominationē deducta, vt penitus a veteri gloria excidisse videantur Persæ.

DE INDIA. CAP. X.

India orientalis regio, terminus Asiæ, tam vasta perhibetur, vt eam tertiam omnium terrarum partem quidam tradere nō dubitarint. Gentes habet plurimas, vt sunt Musicani, quorum vita, vsq; in annum centesimum & trigesimum extenditur. Seres paulo diutius durare dicuntur. Habuit olim India Gymnosophistas, atq; Bracmanas, quibus de Philostratus multa, & diuus Hieronymus in prologo Bibliorū meminit. Sunt præterea in India populi, qui loco monstrorū habentur, Cynocæphali, Monoculi, Auriti, Monopedes.

DE SCyTHIA, AC TARTARIA. Caput XI.

Scythæ populus septentrionalis. Ea primum natio iuxta Araxim flumen, paruo numero propter ignobiliatem contempta, consedit nacta deinde regem, militari virtute insignem, agros ampliauit. Ab alieno imperio intacti, aut inuicti Scythæ semper manserūt. Dariū Persarū regē, turpi, a Scythia submouere fuga. Cyrum, cū omni exercitu, trucidarūt. Alexandri magni ducem cū copijs vniuersis, deleuerūt. Romanorū arma audiuerūt, nō senserūt. In summa,

Gens est & laboribus & bellis aspera

Porro Tartaria, a fluuio Tartar, qui per eam labit, appellat. Hæc terra ab oriente Catheorũ ac Solangorũ terram habet, a meridie Sarracenos aspicit, ab occidente Naymannos, & ab aquilone, oceano clauditur. Duri ac feri vbiq; gentis mores. Terra sterilis, & ob eam causam multũ deserta & infrequens. Sunt hodie in Tartaria Armeni habitantes, qui fidem Christi se habere iactant, sed duas in Christo esse naturas, id pernegant. Purgatorium ignem, post mortem, suspectisse, minus q̃ vllam aliam rem credunt.

SEQVITVR TERTIA PARS orbis habitabilis, Europa: & primo de Hispania, regnisq; ipsius.

Hispania Europæ regio est, olim Iberia, deinde etiam Hesperia vocitata: at nostris temporibus in quinque integra ac florentissima regna diuiditur: primum Legionis & Castellæ. Secundum Arragonũ. Tertium Nauarræ. Quartũ Lusitaniæ, quod & Portugalliæ dicit. Quintum Beticæ, quam Granatam Perhibent Hyspania Oceano, & Pyrenæis montibus clauditur, terris optimis comparanda, cum soli vbertate, tũm frugum copia. Non violento Sole torretur, vt Aphrica neq̃e assiduis ventis vt Gallia, fatigatur, sed salubritas coeli per omnẽ regionem æqualis. Cursus amnium non torrentẽs, rapidique, vt noceant, sed lenes & vineis, campisque irrigui, æstuarijsque oceani affatim piscosi. In nulla tamen re magis commodata est atque equorum perniciate, quos ibi a vento concipi memoriæ proditum est. A montibus Pyrenæis incipit, & per columnas Herculis circuiens vsq; in Borealem oceanum protenditur, ita vt om̃ia, in eo circuitu ad Hyspaniã spectent. Decem milibus stadijs, vt Apianus scribit, eius latitudo commensuratur, longitudo prorsus eadẽ esse videt, ab vna tantũ parte, scilicet Pyrenæi montis dorso, Galliæ adhæret, a reliquis omnibus mari cingitur. Hodie hæc vniuersa, Caroli

Romanorū Imperatoris. v. equidem nō illibenter imperiū sequuntur.

DE ANGLIA.

Anglia quæ & Britannia ab eruditis dicitur insignis in Oceano insula. Hæc vndique a circumfuso mari camplexa est, nusq̃ iuncta continenti, sed ab omni orbe nostro diuisa. Ambitus Angliæ quadragesies octies & septuaginta quinq; milibus passuū cōstat. Dies longissimus horarū, xvij. dephendit̃, & æstate lucidæ sunt noctes. Hæc terra pecorū & lanificij abundans, Lupos nō gignit, nec illatos nutrit. Aurū habet, & argentū, plumdūq; & cuprū. Nec item margaritis caret. Reperitur hic lapis Gagates, qui in aqua ardet, nec extingui, nisi oleo, potest.

Scotia, Angliæ pars est ad septentrionē, tenui freto ab insula birempta: nec procul hinc Hybernia est, quam Hyrlandiam vulgo dicunt. Scotos aliorū mortaliū cōtemptores esse, a multis est proditū. Nam in tantū nobilitatē suam ostentare solent, vt in summa rerū inopia degentes, ad regiam tamen stirpem, genus suum referre non dubltent.

Hybernia inter septentrionē & occidentē posita, dimidio, q̃ Britania minor. Insula adeo dabulosa, vt ibi pecuaria, nisi æstate a pastibus arceanẽ, in periculū agat saties. Nullum noxiū gignit animal. Gens est Inhospitalis, inculta, crudelis. Viris summa gloria in armis. est Carne, iacte, & pomis potissimū victitant. Venationi ac ludis, magis q̃ agrestibus cperibus dediti.

Sequit̃ post hæc, Thyle insularū, quæ circū Britanniam sunt, vltima: in qua æstiuo solstitio, faciente sole transitū per Cancrum, nox fere nulla: quum vero Capricornum peragrarit, perinde nullus dies.

DE GALLIA.

Gallia, Pyrenæis iugis ad occasum: ad septentrionem, Gallico, Britannicoq; oceano: ab oriente, Rhenum habet: a meridie Narbonense illi prætendit̃ pelagus. Galliam in

tres prouincias Historici diuiserūt, in Belgicam scilicet & Celticam & Aquitanicam, terminos eorum ita statuentes, vt a Scalde adi Sequanā Melgica sit dicta, Mox Celtica ab eo ad Garundam quæ etiam est Lugdunensis, Inde ad Pyrenæi excursum Aquitanica, Falluntur hodie qui Helue etiam Lothoringiam, Lucelburgam, Burgundiam Brabantiam, Gelrhiam Holandiam, Selandiamq, Galliæ annumerare contendunt. Nihil enim Galli, armata manu, in Germania feliciter egerunt vnq. Quæ hic dicenda essent, paulo longiorē disputationē requirūt, Quare ad Gallorūm mores redeundū nobis. Gallis nihil tam est cōmune vniuersis, atque factiones exercere, quæ non in vrbibus & pagis solū, sed in singulis pene familijs reperiunť. Nam qui alijs ingenio & opibus præstant, semper de principatu inter sese contendere solent. Gens prona in tVenerem, vnde neq virginum, neq honestarū matronarū, vbi victores in bello euaserint, respectus. Ad omnē frotunā, pro arbitrio, fidē inuertere dicunť. Quanq & Gallos, Deus opt. max. suis donis non penitus destituit, Nam quod diximus, hoc hab et cum multis alijs cōmune. Proinde Bap. Mantuanus, eleganti carmine, mores & ingenia Gallorum, in Dionysio suo, est conmplexus.

Læti, alacres, lusu choreis, & carmine gaudent,
In Venerem proni, proni in conuiuia, proni
Ante dapes ad sacra Deum, seruire, iugumq
Ferre negant, fugiunt figmenta, & Hypocrisin, ore
Liberi, vt ingenuis mos est, tetricosq perosi,
Venatu, aucupio, campos, montana, lacusq
Sollicitant, bellandi vsu lætantur, et cætera.

DE ITALIA.

Olim Italiam, Hesperiam vocitatam accepimus, quemadmodū Hispaniā: Deinde Oenotriam, a rege Oenotrio, appeliarunt. Tandemque Italia est dicta, ab Italo rege, id quod poeta Virgilius, præclare equidem ad posteros scri

ptum transmisit, sic dicens.

Est locus Hesperiam Graij cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis, atq; vbere glebæ,
Oenotrij coluere viri, nunc fama minoris
Italiam dixisse ducis de nomine gentem.

Vbi hostia sunt Tyberina, Latium vocatur, Ausonia vero vbi Tyrrhenū aspicit. Longitudinem Italiæ, decies centena & viginti milia passuū, esse dicit Solinus. Latitudinē autē qnadraginta decem, aut certe, vbi est contractior, centum triginta sex. Sunt in Italia multæ regiones, vt Liguria, Hetruria, Cāpania, Lucania, Calabria, Apulia, et aliæ. Apenninus mons totā Italiam, velut in ducas diuidit plagas, hāc ad occasum & ad meridiem, illam ad boream & ortum obuersam, Regio est fertilis. Nan aprici colles in ea, innoxij saltus, opaca nemora, mira frugum, vitium, olearum fertilitas: flumina, fontesque saluberrimi, portus plurimi, vt vere dixerit quisquis ille fuit: Italia terrarū parēs & alumna,

DE GERMANIA.

Germania in duas partes diuiditur, in superiorē & in feriorem. Pars qua Alpibus propinquior est, superior, altera ad Boream & Oceanum versa, inferior Germania vocatur, Vtraque plures habet prouincias: superior habet Austriam, Styriam, Bauariā, Athesim, Rhetiam, Heluetiā, Sueuiam, prouincias ad Rhenū sitas, vsq; quo Moganus in Rhenum influit, Inferior vero habet Franciæ oriētalis partem Hessorum ditionē, Lothringiā, Barbantiā, Gelrhiam, Selandiam Holandiā, phrisiam, Flandriā, Vuestualiā, Saxoniam, Daciam, pomeraniā, Liuaniā, prussiam, Silesiam, Morauiam Boemiam, Mysnam, Marchiā Brandenburgeñ, Thuringiā, Fuit oliam Germania, vt Cornelius Tacitus testat, in vniuersum aut sylius horrida, aut paludibus fæda, humidior qua Gallias, ventosior qua Noricum ac Pannoniā aspicit, Hodie pulcherrimis vrbibus, castris, ac pagis refertissima vt nec Italiæ, nec Galliæ, neq; Hispaniæ cedere dicas, Ha

bet fruměta, vineta, amnes piſcoſos, quibus facile cū fer‑tiliſſimis prouincijs certare poſſit. Sunt fontes aquæ dul‑cis, ſunt thermæ calidæ, ſunt aquæ, quæ vini ſaporẽ refe‑runt, ſunt mineræ Salis plurimæ, Metallorū autem copia, nullis vncꝫ ceſſura eſt regnis. Quin etiā vrbanitas, & ciui‑litas morū, veſtitus honeſtus, rei militaris peritia, appara‑tuſcꝫ bellorū, & nobilitas nullubi, reor, maiori in prætio ſunt, atcꝫ apud Germanos. Flumina celebriora Germaniæ ſunt Danubius, Rhenus, Oenus, Moganus, Necharus, Albis Sala, Odera. Sed nunc pauca de membris Germa‑niæ dicemus.

DE SAxONIA.

Saxonia, ab aquilone Dacos habet, & mare Balteū, ab occaſu Viſeram, vel, vt quidam volunt, Rhenū, a meridie Franciā orientalem, ab oriente Prutenos. Olim in quatuor differẽtias partiti erant Saxones Primo nobiles, deinde li‑beri, tertio liberti, vltimo ſerui erant. Cautūcꝫ id erat legi‑bus, ne quis ſortis ſuæ oblitus, terminos in copulãdis con‑iugijs tranſgrederetur, qui ſecus feciſſet, non ſine vitæ ſuæ diſpendio id luebat. Terra rerum omniū ferax. Argenti, ærisque diues. Hodie religionis Chriſtianæ nulla gens eſt Saxonibus ſtudioſior. Nam eorū duces, Chriſtum & verbū eius, palam cõtra vniuerſas inferorū portas, confitentur, Ac eos, qui propter iuſticiā perſequutiones patiunt, pla‑cidiſſime, inuitis dijs gentiū, contuent. Cibus Saxonū du‑rus, lardo, aridæ hilæ, carpæ crudæ, butyro ſalſo potiſſimū veſcuntur, atcꝫ huiuſmodi cibis, ꝛ cun abulls, vt dicitur, aſſueſcunt. Sed hæc ab alijs petenda. Non enim hiſtoriam ſcribimus, ſed Epitomen.

DE VVESTVALIA.

Vueſtualia, Rhenū habet ab occidẽte, Viſurgū ſiue Vi‑ſerā ab oriente, Phryſiam & Holandiam, ab aquilone, ſed Obnobios mõtes a meridie, Hos poPulos Carolus cogno‑mento magnus, ad fidem Chriſti, non ſine armis, adduxit,

Qui sæpius in pristinā idololatriā relapsi, tandem per Carolum magnū, cōstituti sunt, qui metu pœnæ gentis temeritatē cōpescerent. Nam iudices constituit, qui vt fregisse fidem cognoscerent quempiā, mox illū, pro arbitrio suo, necarent, nulla vel citatione vel expurgatione præuia. Quæ lex, siue potestas ad malos tandē translata est viros, ceperūtq; iam nō malis, sed bonis etiam viris insidias tendere. Sed hodie prudentia principum decretū est, ne quid post hac tam sceleratis hominibus, in quencq; suorū subditorū liceat. Neq; enim ferre possunt iniquos iudices Germani. Vuestuali alioqui ingeniosi sunt, ac bellicosi. Hinc prouerbium natum est, vuestualiam viciosos, ac fallaces gignere magis q̄ stultos.

DE FRANCIA ORIENTALI.

Francia, ab aquilone Obnobius montes, ac Thuringiæ populos habet, a meridie Sueuiam, Bauariāq;, ab oriente Boemos, ab occasu, Rhenū. Regio, frumenti, viniq; fertilis. Sylua Hercynia, per circuitū obfirmat, ac veluti muro aliquo natiuo clauditur. Herbipolensis Pontifex, terræ, huius ducatū habet, vnde in diplomatis, non tantū Episcopum se dicit Herbipolensem, sed & addit, Ducem Franciæ orientalis. Quare dum sacrum facit, in ara denudatū illi gladium, ob oculos ponunt.

DE SVEVIA.

Sueuia, ab oriente habet Bauaros, ab occidente Heluetios & Rhenum, a meridie Alpes, a septentrione Franciā. Hæc regio duobus amenissimis fluminibus irrigat, Rheno & Danubio, quarum ille in occidentē tendens, oceano miscetur, hic vero in orientē, per innumeras gentes volutatus, pontū influit. Terra fertilis, nec vlla pars, ob populi multitudinē, in culta relinquit. Gens fortis, audax, bellicosa, corpore pcera, fauio crine, venusta facie, ingenioq; singulari prædita. Cuius gloriæ eousq; creuisse memorat, q virtute & armis imperium orbis meruerit, illudq; vltra

vnius seculi spacium magnificẽtissime tenuit. Superfluum fuerit hic, quæ Cæsar in quarto cõmentariorũ, quæq; Cornelius Tacitus de Sueuis prodiderunt, referre. Quare de Bauaris nunc dicemus.

DE BAVARIS.

Bauaria, Hungariã habet ab oriente, Sueuos ab occidente Italiam a meridie, ab Aquilone Franciam atq; Boemiã. Danubio insigni fluuio, ex Sueuia profluente, irrigatur. Austriam, Styriam, atq; Charintiam in se cõprehendit, q hi fere homines ijsdem moribus & lingua vtanť, Porro Charintia montana regio, Alpes Italas & Forumiulij contingit, multæ in ea valles, collesq; feraces tritici, multi lacus, amnes non pauci, quorũ præcipuus Drauus, qui per Styriã ac pannoniã in Danubiũ fertur, ipso Sauo nõ inferior,

DE HVNGARIA.

Habet Hungaria ad occasum Austriam & Boemiã, ad meridiem Illirici partem, quæ Adriartico obuersa est pelago. ad ortum habet Seruiam, ad aquilonem Poloni ac Moschi habitant. Vrbs regia est Buda. Ager regionis, quatenus colitur, tritico fertilis, nec minus auro & argẽto diues. Homines feroces, & bello exercitati, equestri tamen prælio magis q̃ pedestri idonei, Cataphracto equite in bello vtuntur, & leui armatura. Nulla gens, quæ Christo nomẽ dederit, Turcarum arma magis exercuerit, nec Vlla ab his rursus magis exercita est, tam æquo Mare, tam vario euentu est semper vtrinq; bellatum.

DE BOEMIA.

Boemia, Hungariã ab oriente habet a meridiem Bauari habitant, ad occidentẽ Noricus illi agar adiacet, ad arcto Polonia est sita, Latitudo eius longitudini fere æqualis est Sylua Hercinia, ceu muro natiuo vndiq; cingiť. Albi fluuio media irrigatur, atq; quodã alio Multauia nomine, a cuius ripã sita est Praga vrbs amplissiam, ac totius regni caput. Boemi vndiq; licet circũ septi sint Germanis, lingu

tamen Germanica non loquuntur. In templis solent Euangelion Germanica lingua, populo proponere. Cæterũ in cæremonijs idiomate vtuntur Boemico.

DE POLONIA.

Polonia, quæ etiã Sarmatia, duplex esse perhibeť, quarum quæ Saxonibus, Prutenisq; vicina est, maior Polonia Altera quæ Hungariæ ac Russiæ obiecta, minor est vocata. Estq; Polonia, ad occidentẽ Silesiæ cõtermina, ab aquilone Prutenos, & Massouitas habens, ab oriente vero Rutenos, sed a meridie Hungaros, Carpato interiacẽte monte, aspicit Cracouia totius regni caput. Solum ferax, tritici abundans. Estq; pascuis idoneum, quibus armenta late equidem pascunt. Salem saxorũ duricie effodiunt Poloni, coq; nullum est in toto regno vberius vectigal.

DE LITHVANIA.

Lythuania, Poloniæ ad ortum connexa, noniogentorum milium passuum circuitu, magna parte palustris, ac nemorosa. Ob eam causam raro in ea regione Odpida conspiciunť, & villarũ incolatus infrequẽs est. Huius gentis diuitiæ pecora sunt, pellesq;, quas Zobellinas, Hamelinasque vocant, quibus regio insigniter abundat. Ceræ, mellisq; ferax. Olim ducem habuerũt, quẽ Magnũ voca bant. Hodie vero Polonia regis imperata faciunt. Caput regionis Vilna est quæ magnitudine sua cũ Cracouia Poloniæ, certare queat. Castre habet duo, contra omnẽ vim belli, munitissima, vnum in monte, alterum in plano situm. Distat hæc ciuitas a Cracouia, non minus miliaribus centũ & viginti.

DE LIVONIA ET PRVSSIA.

Liuonia, Ruthenia ad aquilonẽ aspicit, ab occasu mare Sarmaticũ, Prussia autem a meridie illi occurrit, Ad orientem habitant Masouitæ, atq; Poloni, Terra frugifera, amoena, pecoris abundans. Cultus frequens, piscatus, & venatio multa, Est illic ad Sarmaticũ mare, sinus incõpertæ magnitudinis, cuius hostiũ ab occidente est, non procul

a Cymbrica Chersoneso Daciam hodie vocant ad Boreum huius sinus, gentes habitant semiferæ, quibus cum nullū est linguæ commertium, sed nutu duntaxat & signis permutant merces. Est & alia regio Prussiæ contermina, Samogithiā vocant, syluis & fluminibus circūsepta. Eius longitudo ad qninquaginta miliaria extenditur. Gens proceræ, pulchræq; staturæ, at moribus agrestes sunt et inculti,

DE RVSIA SIVE ROMANIA.

Ruthenia, quæ & Podolia, pars Sarmatiæ Poloniæ prætendit, fluuio Peuce, ad septentrionē includit, ad orientem Moscos habet, ad occidentē solem Liuoniē atq; Prussiam aspicit. Inuenio etiam Ruthenos, olim Rhoxolanos dictos fuisse. Fertilissima regio est. Nam agros quotannis inuertere, opus non est, q semel iniectum illis semen, tribus deinde perpetuis annis fructum ferre dicant. Nam inter metendum, segete leniter excussa, alia in sequentē annum sua sponte crescere solet. Magna apud eos copia apum.

DE THRATIA SIVE ROMANIA.

Thratia, hodie Ramania dicta, inter partes Scythiæ cōputatur, Macedoniā sequitur, a septentrione Istrum habet, ab oriente pontum, a meridie Egæum mare. Eius ciuitates sunt Nicopolis. Constantinopolis, imperij olim sedes, ac totius orientis caput. In Thratiam cōputant Bulgaria, Valachia, atq; etiam ipsa Transyluania

DE GRAECIA.

Quid tandem de vniuersa dicam Græcia? vbi Christus maiore studio prædicatus est vnq, atq; in Græcia? Quæ vnq terra tot aluit insignes, & eruditione & vitæ sanctimonia, viros? Hanc olim Musarū patriam, gens barbara Turcæ, vniuersæ politioris literaturæ ignara, peccatis inmirum id nostris exigentibus, possidet. Porro de origine Turcarū, non alia afferam, q quæ Ioannes Baptista Egnatius Venetus de illis prodere non dubitauit. Turcarū, in-

quit, tenuissimam memorant Primordia, & vt cæterarũ gentium plane obscura. Caspij maris accolæ fuerũt, qui septingentesimũ ab hinc annum natali solo relicto, in Persidem atq; Asiam minorem primũ impetũ fecere. Sed nec vnus dux illis, nec certum imperium. Vagi, dispalatique quoque cuiq; sors affluit, latrocinantes magis q̃ belligerantes prouincias vastarunt. Prima stipendia Basilio Macedone imperante, sub Muchumetio Sarracenorum principe meruere, quorum præcipue opera Babylonios, Indosq; ille vicerit. Variatum sepe inter eos factionibus exortis ad Galrorum vsq; memorabilem illam expeditionem, qua fracti ab his sepius, magna etiam imperij parte mulctati sunt, donec Othomannus veterem gentis gloriam asserere ausus est. Is obscuro loco & parentibus agrarijs natus, virtute ac calliditote singulari, conflata per seditonem manu, circumferre Turcica cœpit arma, in suæ gentis homines non minus infestus, q̃ in nostros. Othomannus igitur his auspicijt intra octo & viginti annos, quibus rerum potitus est, incredibile dictu quantũ rem suam auxerit. Magnam certe Bithyniæ partem breui subigit, oppidaq; ad Euxinum posita non pauca cœpit. Qui moriẽs Orchani filio regnũ per manus tradidit. Hic Prusiam Græcis ademit, primusq; in Europam traiecit. Tandem post vigesimũ secundũ imperij annum, Ammuratem filiũ hæredem reliquit. Is auitam paternãq; felicitatem emulatus. in Bulgaros mouit. Hellespontum ad Abydum superat. Callinopolimq; cum alijs Oppidis occupat. Seruiam, Bulgariamque ingressus, cum Adrianopolim prius occupasset, occurrentes sibi cum paratissimis copijs hostes ingenti cede profligat, Lazaro Seruiæ priecipe in acie cæso, sed mox a seruo dñi in vindictam Ammurates occiditur, cum annos viginti tres imperium tenuisset, Bazaite & Solimanno filijs snperstitibus Bazaites interfecto per insidias fratre, magnã Bulgariæ partẽ sibi subiecit. Bossinam, Croatiam, vlterioresq;

Illyrici partes vastat. Tandem Maomethes rem Turcarum occupat, qui Bulgaros & Vlachos prelijs & cladibus afflixit. Adrianopolicq̃ recepta, regiã ibi sedem statuit, ipso post annos septem & decem mortuo, Ammurates filius regnum init. Prima illi expeditio in Myscorum principem, qui nunc Serui dicuntur, fuit, de quibus Scopiam & Nouemontũ cepit. In Vlachos, Vngaros, & Germonos incursiones graues fecit. Tandem Maomethæ filio cura rerum demandata, cum annos quatuor & triginta regnasset, mærore animi obijt. Longum esset, si Maomethis eius filij res gestas explicem. Quæ quantæ fuerint, nouũ Othomannicæ familiæ magni cognomẽtum ab eo quæ situm, & in hæredes iam transmissum arguat. Is enim dua Christianorũ imperia, Constantiuopolitanũ, & Trapezuntiũ subuertit, regna duodecim nobis ademit, & cætera. Hic cum annis præfuisset vnum & triginta, obijt Anno salutis nostræ M. CCCC. LXXXI. quinto Nonas Maij. Quomortuo, Bazaites regnum obtinuit, qui Vlachiæ castella quædam expugnarit, in Sultanum Aegyptium copias eduxit, a quo sæpe victi Turcæ, tandem pacẽ, foedusq; iniere. Hic ex quo annos ferme triginta imperasset, a Selino filio regno pellitur. Huc vsq; Egnatium sequutus sum. Hic Selinus paratissimis copijs aduersus Persarũ regem Ismaelem venit, cæso in acie duce Persarũ, magnam Persiæ partem in desolationem dedit, Deinde Syriam subegit, ac Sultauum vita exuit. Aegyptuuq; imperata facere coegit, quod factum est anno salutis nostræ M. D. XVI. Quum proro & hic diem obijsset, Solimannus filius eius regnare cepit pro eo. Qui anno a nato Christo M.D.XXI. Albam Græcam Hungariæ ciuitatem, cepit. Rhodon Insulam, Anno salutis M.D.XXIII. in deditionem recepit. Ludouicum Hungariæ regem, in acie cæsum interemit, Anno M.D.XXVI. Budam Hungariæ ciuitatem, nõ tam cepit, q̃ vastauit, atq; adeo nihil in ea immanitatis suæ reliquit